Pyrrhus habet captam reduce & uictore parente.
Munus & hoc nobis diruta troia dedit.
Cum tamen altus equis titan radiantibus instat.
Perfruor infelix liberiore malo.
Nox ubi me thalamis ululantem & acerba gementem.
Condidit. in mesto procubuique toro.
Pro somno lacrimis oculi funguntur abortis.
Quaque licet fugio sicut ab hoste uiro.
Sepe malis stupeo rerumque oblita locique.
Ignara tetigi phiria membra manu.
Utque nefas sensi male corpora tacta relinqui.
Et mihi pollutas credor habere manus.
Sepe neoptolemi pro nomine nomen orestis.
Exit & errorem uocis ut omen amo.
Per genus infelix oro generisque parentem.
Qui freta qui terras & sua regna quatit.
Per patris ossa tui patrui mihi que tibi debet.
Quod se sub tumulo fortiter ulta iacent.
Aut ego premoriar. primoque extinguar in euo.
Aut ego tantalide tantalis uxor ero.

Deianira herculi.

Gratulor ethaliam titulis accedere nostris.
Victorem uicte succubuit queror.
Fama pelagiades subito peruenit in urbes.
Decolor et factis inficienda tuis.
Quem numquam iuno seriesque immensa laborum.
Fregerit. hunc iolen imposuisse iugum.
Hoc uelit eurystheus uelit hoc germana tonantis.
Letaque sit uite labe nouerca tue.
At non ille uelit cui nox si creditur una.
Non tanti ut tantus conciperere fuit.
Plus tibi quam iuno nocuit uenus. illa premendo.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_1668/0047
MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG